

## (Osnabrück) 18. März 1325

### ***Graf Otto von Ravensberg verpfändet dem Domkapitel zu Osnabrück einen Zehnten im Kirchspiel Halle.***

Otto vir nobilis .. comes de Ravensberghe, Margareta ... comitissa, Hadewigis et Margareta, filie, libere et vere heredes coniugum earundem, bekunden, quod de bona voluntate et expreso consensu domini Bernardi .. prepositi ecclesie Osnaburgensis, fratris nostri comitis iamdicti, decimam nostram dictam in den Egbergheshaghen, videlicet domorum et casarum infrascriptarum, scilicet Sybracti, item Gedefridi ton Wischus, item Otberti, item Ludolfi tor luckemolen, item Johannis, qui dicitur Makeber, item Luberti tor Scammehart, item relicte cuiusdam, qui dicebatur Wlpes, item Reyneri ton Honlyh, item Johannis Redeman, item Johannis ton Rysberghe, item Alberti Segheverinch, item mansum, quem colit vir pertinens Henrico de Stenhus, item mansum, quem inhabitavit quidam dictus Merentop, item mansum unius, qui dicitur Herekorn, item Dangmari uppen Hardenlande, item Henrici Cleveman, item Rodemannesche, item Volquini, item Lefhalmi, item Johannis, vicini sui, item Everhardi Mildinch, item Godefridi, vicini sui, item Brunonis tor Stenbeke, una cum decimis minutis ac aliis suis iuribus ac pertinenciis quibuscumque, prout eas ab ecclesia Osnaburgensi tenemus in feodo, in parrocchia Halle sitas venerabilibus viris .. preposito, .. decano et capitulo eiusdem ecclesie Osnaburgensis ad usus Bernardi de Dinclaghe et Conradi die Linghe, vicariorum ecclesie Osnaburgensis predictae, nomine beneficiorum suorum ad duodecim annos continuos a festo Michahelis ex nunc proxime affuturo rite et racionabiliter vendidimus pro centum et octoginta marcis Osnaburgensium denariorum legalium, videlicet centum marcis ad Conradi et octoginta ad Bernardi vicarias pertinentibus, nobis traditis et assignatis in pecunia numerata ..., ita tamen, quod ex speciali gratia et favore nobis indultis annis singulis infra huiusmodi duodecim annos supradictos prefatas decimas cum suis iuribus a .. preposito, decano et capitulo memoratis infra festum beati Michahelis archangeli et dominicam, qua cantatur Letare, dummodo ipsis in eodem festo beati Michahelis preintimemus et dicamus, licite possimus reemere, quando et quociens nobis aut nostris veris heredibus videbitur expedire, pro eisdem centum et octoginta marcis denariorum legalium prenotatis. Sed si infra terminos prescriptos non reemerimus decimas predictas, ex tunc vicarii prenotati fructus et obventiones illius anni integre percipient et habebunt. Si autem nos vel nostri ipsas decimas infra duodecim annos predictos reemere neglexerimus, ex tunc ad vicarias predictas iure hereditario permanebunt. Preterea fide data et in solidum una cum domino Bernhardo, germano nostro, ... promittimus in hiis scriptis, quod ante festum beati Jacobi apostoli proxime nunc venturum coram ... domino Osnaburgensis ecclesie .. episcopo, domino feodi, nos et nostre heredes prenominatae una cum Bernhardo .. preposito, germano nostro iam dicto, personaliter comparere debemus, dictas decimas cum suis iuribus ad usus vicariarum predictarum, prout moris est, pure et simpliciter resignando. Promittimus etiam ... ipsis plenam et debitam warandiam facere et omnem defectum seu dampnum, si quem vel quod per nos vel nostros in premissis sustinuerint, adimplere debeamus, quando et quociens fuerimus requisiti. Promittimus nichilominus ..., quod fructus et obventiones decimarum predictarum collectos singulis huiusmodi duodecim annis dictis vicariis et eorum successoribus curibus nostris ipsis sufficientibus ad civitatem Osnaburgensem sub nostra securitate et conductu et omnium pro nobis facere et dimittere volencium integraliter transmittemus. In cuius rei testimonium nos .. comes et .. comitissa prefati pro nobis ac nostris filiabus prenominatis sigillis nostris una cum sigallo Bernardi, germani nostri sepedicti, dictis .. preposito, .. decano et capitulo necnon eorum vicariis prefatis et eorum successoribus presens scriptum tradidimus communitum. Et nos Bernardus .. prepositus antedictus, frater .. comitis memorati, recognoscentes omnia et singula premissa esse vera et ea, ut premissum est, fide data et in solidum cum eodem .. comite adimplere in hiis scriptis promittentes sigillum nostrum duximus presentibus apponendum in testimonium premissorum. Datum et actum in civitate Osnaburgensi anno Domini MCCC vicesimo quinto feria secunda post dominicam, qua cantatur Letare.

Quelle: Westfälisches Urkundenbuch X / 954

Original; Bischöfliches Generalvikariat Osnabrück, Domarchiv

Siegel:

1. des Grafen Otto (W.S.I Tafel 12,3)
2. der Gräfin Margarete (W.S.I Tafel 12,6)
3. des Propstes Bernhard (W.S.I Tafel 12,8)

Abschrift 18. Jhs, Msc. VII 3117

Regest 19. Jhs. Msc VII 2411 II Bl.9 Nr. 68